

§. 5.
Præterea si infans fecisset opus in Sabbato,
vel edisset adipem aut sangvinem, cum prima
ætate inter gentiles educaretur, ac deinde robu-
stior factus & gentilibus ereptus, informatusque
a judæis, intelligeret lege Mosis hæc prohiberi,
ob singulis istas legis transgressiones offerebat sa-
crificium pro peccato, cujus sacrificii mentio-
nem facit *Majmon. de erroribus*, (ob quos
immolabantur victimæ) c. 1. §. 6.

§. 6.
Si in paschate edere infans agnum pascha-
lem cuperet, admittebatur ad sodalitium pascha-
le, licet totum sodalitium non constare ex solis
infantibus posset, sicut nec totum ægrotis, seni-
bus, vel lugentibus vel peregrinis absolvebatur
juxta *Majmon. de paschate* c. 2. §. 4. Sole-
bant etiam infantes diligenter attendere si in pa-
schali cœna post primum vini poculum cere-
moniæ paschales explicarentur, v. g. cur hac no-
cte bis intingerent, cur panes azymos ederent
&c.

§. 7.